



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

foria sit. *L. si Prætor. 75. in Princ. ff. de judic.*
 & quidem tempus judicati faciendi, ho-
 die est 4. mensium, *L. 2. & ult. C. de usur:*
rei jud. Nempe in personalibus judiciis: in
 realibus restitutio facienda est statim. *L.*
qui restituere. 68. ff. de rei vind. An tempus
 istud à Judice arctari prorogari vè possit,
 quæritur. Affirmat Ulpian. in *L. 2. ff. de re:*
jud: Negare videtur idem in *lege. 4. §. si quis*
condemnatus, eodem. Nulla hic contradi-
 ctio. Quin & ex causa omninò præcidi
 posse rectè colligunt interpretes, ex *L. de*
debitoribus. 31. ff. eodem. Dixi ex causa, quia
 beneficium à jure concessum Judex parti
 auferre non potest. *c. indultum de reg. juris*
in 6. undè si quadrimestre à jure indultum
 Judex restrinxerit, suppletur à jure, adeò
 ut etiam non petentibus profit; *L. 4. §. si*
quis condemnatus. ff. de re jud. Imò condem-
 natis etiam ex delicto. quia licet res abla-
 tas absq; mora restituere teneantur, tamen
 condemnari in pœnam pecuniariam, qui
 minus gaudeant tempore legitimo, non
 video.

2. Intra tempus constitutum, si con-
 demnatus non satisfecerit, vel actio rei
 judi-

judicata instituitur ad præstandum id, quod in condemnationem deductum est, vel recta fit executio. Actio rei judicata tum in primis utilis & necessaria est, cum dubitatur, an judicatum sit, aut exceptionibus aliquibus, adversus judicatum reus munitus est. Eâ enim quæritur non an debeat reus, sed an judicatum sit. *L. miles. 6. §. ult. & L. minor. 40. ff. de minor:* Instituitur adversus reum principalem non contra curatorem, tutorem, procuratorem, nisi liti se obtulerint, aut in rem suam dati sint *L. 4. ff. de re jud:* quod si plures unâ sententiâ in eandem quantitatem condemnati sint, proportionem in singulos datur. *L. Paulus. 43. ff. eod:*

3. Exceptiones rei judicata hæ ferè opponi solent, quod receperit actor id, quod petebat. *L. 1. C. de re jud.* Quod post rem, judicatam novatio facta sit. *L. 4. §. ex conventionem. ff. eod.* Quod obligatio ipso jure extincta sit: *L. 5. ff. de re jud:* Et præcipuè, quod aut omninò judicatum non sit, aut inter alios, aut non ritè. *L. sæpè. 63. ff. eod.*

4. Porrò executio fieri debet auctoritate publicâ. Qui privatâ libidine pignora ac-